



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Liber De Regno Dei, De Qvo Christvs Loqvvtvs Per Dies
quadraginta**

Flavin, Melchior de

Parisiis, 1566

De victoria Christi, & praemio victoriae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29986

Luc. 21.

in ignitum carcerem armabit totam cœlestem militiam. Luc. 21. Virtutes cœlorum commouebuntur, adeoque omnem creaturam in ultionem inimicorum. En bella, victoriam, arma nostri regis Messia, non carnalia, vt prestolantur in suo Messia Iudæi, sed spiritualia, qualia etiam cognouerunt Cabaliste eorum, alique professoris ingenij. Nunc velamen positum est super cor eorum cum legitur scriptura. 2.

2. Cor. 3. & Esa. 29.

ad Cor. 3. & Esa. 29. Sed veniet quando corda filiorum conuertentur ad corda patrum, vt sentiant cognoscantque differentiam primi & secundi aduentus Christi, quorum primus est in humilitate, & deiectione, alterum verò in potentia & gloria. Matth. 24. Tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa, & maiestate: & tunc plangent omnes tribus terræ.

Matth. 24.

CAP. I3.

De victoria Christi, & premio victoriae.

CHristus occultè pugnauit, primùm aduersus Satanã & regnũ eius per suos Adam, Euã, Abel, Seth, Enoch, Noe, pa-

triarhas, & prophetas: qui fide Christi bellatoris futuri & victoris adepti sunt victorias insignes. Hebr. 11. Sancti per fidē Hebr. 11. vicerunt regna, &c. 1. Ioan. 5. Hæc est vi- 1. Ioan. 5. ctoria quæ vincit mundum fides nostra. Ita vt demum super eos diabolus neque regnaret, neq; dominaretur illis, ad perditionem & mortem sempiternam. Tametsi nondum esset contritum caput serpentis, regnum peccati scilicet, & mortis: quod erat vni Christo reseruatam, qui illud caput contriuit, & portas inferi reserauit, liberans iustos: imò & quosdam ex inferiori inferno ex August. in epist. August. epistol. ad Euodiam. ad Euodium ianuas cœli aperuit eis qui contra serpentem illum sui triumphi vexilla protenderent Christus siquidem posuit hamum sub carne sua vnde diabolus mordens carnem captus est id est procurans mortem Christi per quam putabat eum deuorare sicut alios trahere ad regnum suum & delere nomen & regnū Christi quod tamen promouit per mortem eius Philip. 2. Philip. 2. Deus exaltauit illum, &c. siquidem accepit Christus regiam omnium potestatem & iudiciariam facultatēque fundandi ecclesiam suam,

DE REGNO

ex gentibus, & eam regendi. Nam ignorabat Satan se vincendum morte Christi, & eijciendum, gētēsque in Christo mortuo benedicendas. i. ad Cor. 2. Si cognouissent, nunquam gloriæ Dominum crucifixissent. Vicit Christus humilitate, paciētia, & obediētia: quę tria in morte præcipuè eius eminuerunt. Coloss. 1. Eripuit nos de potestate tenebrarum, &c. Data est potestas ex seruis diaboli facere filios Dei. Vnde quando post suam mortem Christus receptus est à gentibus (Ioan. 10. & 11. Alias oues habeo, & cæt. Et 11. pas-
 furus erat vt filios Dei per gratiam electionis scilicet congregaret.) tunc cœpit destrui idololatria sicut prædictum fuerat, Esa. 11. Zach. 13. & 14. Hierem. 16. regnū Dei & ecclesiæ olim ex solis Iudæis constabat, nunc ex illis & gentibus. Ideo dicitur nouum. Cōtra quod armauit se Sathanas vt leo, suscitauitque fortissimum imperium Romanum, quod fermè 300. annis lacesciuit illud nouum regnū Christi. Quod imperium licet esset munitissimū & ferme inexpugnabile, Dan. 2. & 7. Attamen subiugatum est à Christo sine gladio, vt prædictum, Esa. 26. Ciuitas

1. Cor. 2.

Coloss. 1.

Ioan. 10.
& 11.

Esa. 11.
Zach. 13.
& 14.

Hierem. 16.
Apoc. 5.
Ioan. 12.

Dan. 2. & 7

Esa. 26.

sublimis humiliabitur, id est Roma. Itidē vaticinatae sunt & Sybillae, de quibus 18.

Ciuit. & Lact. libr. 1. & 4. Inter quas ery-

thraea sic loquitur: In vltima aetate humi-

liabitur proles diuina, vnietur diuinitati

humanitas, iacebit in foeno agn^o, & puel-

lari officio educabitur Deus homo, signa

praecedent apud Iudaeos mulier vetustis-

sima, scilicet Elizabeth, puerum concipiet, stella orbis mirabitur, & ducatum praestabit, scilicet Magis. Hic habens 30. annos, eliget sibi de piscatoribus abiectis-

que hominibus numerum duodenarium, unumque diabolum, Iudam videlicet,

Non in gladio bellove Aeneadem urbem,

id est Romam, regesque subijciet: sed in

hamo piscatoris, scilicet Petri. Nam ex

August. per piscatorem lucratus est imperatorem. Huic quatuor animalia surgent in testimonium, id est quatuor euangelistae. Huic contradicetur a bestia, id est Machometo. Erit autem bestia horribilis, cuius rugitus usque ad gentes Punicas au-

dietur de victoria Christi contra diabolum, Psal. 19. 21. 29. 68. Esa. 9. 53. Zach. 9. 12. & 13. Abac. 3. Vnde tanquam victus ligatus est Sathan. Lucae 11. & Apoc. 20. non

Lactan. lib.

1. & 4.

Ioan. 6.

Psal. 19. 21.

29. 68.

Esa. 9. 53.

Zac. 9. 12.

& 13.

Abac. 3.

Luc. 11.

Apoc. 20.

in persona, sed in potentia, quæ omnino
 amisit suas vires post victoriam Christi,
 qui primum vicerat illum, Matth. 4. In
 cuius signum Demum solo verbo expel-
 lebat spiritus nequam, Matth. 8. 9. 12. & 15.
 Luc. 4. & Mar. 1. Nam quemadmodū de-
 bellato Adam, in eo etiam debellati sunt
 filij eius: sic oppresso Sathana, oppressi
 sunt & omnes filij eius: & quotquot atti-
 nent ad regnū eius, tam ex Angelis quàm
 hominibus ideo fide Christi vincimus &
 dæmones, & mūdum. 1. Pet. 5. & 1. Ioan. 5.
 ex quibus constat ecclesia Sathanæ. Inde
 potestas expellendi dæmones fide Chri-
 sti data est Apostolis, Matt. 10. & Luc. 9. &
 10. adeoque aliis credētibus, Mar. 16. At-
 qui in secunda victoria quam nactus est
 Christus in morte patuit exitium totius
 regni Sathanici. Colof. 2. expolians prin-
 cipatus & potestates traduxit cōfidenter
 palā triūphans illos in semetipso, Ioan. 12.
 Nunc princeps huius mundi eijcietur fo-
 ras & 16. princeps huius mūdi iam iudica-
 tus est. Cessauit statim idololatria. Zac. 13.
 Tunc disperdam nomina idolorum, &c.
 Cessarunt & oracula Delphicū, Pythium,
 aliāque oracula. In Bœtia olim multiuo-

Matth. 4.

Matth. 8. 9.

12. & 15.

Luc. 4.

Marc. 1.

1. Pet. 5.

1. Ioan. 5.

Matth. 10.

Luc. 9. & 10

Mar. 16.

Coloff. 2.

Ioan. 12.

Zach. 13.

ca dicta. Vnde Porphyr. libr. de oracul.
cessantibus.

*Ablata est Pithij vox haud reuocabilis vlli,
Temporibus longis etiam iam cessat Apollo
Clauibus oclusus silet : ergo rite peractis
Discedas patria & redeas ad limina sacris.*

Et in libro quem edidit contra religionē
Christianam : ex quo enim Iesus colitur
nihil vtilitatis à diis consequi possumus.

Quinetiā augustus hoc excepit oraculū:

*Ἦραϊς ἑβραϊῖ θελεται με θεοῖς κειραταιν αναστων
τον ὃ δόμον προλιπειν κη αἰδην ανδισ ἰκετα
Δοίπον ἀπιδι σγῶν εκ βωμῶν ἡμετερείων.*

Puer hebræus dijs beatis imperans iubet me

Hæc domū linquere, & rursus in orcū reuertī

Quod superest, abi tacitus ex aris nostris.

Ipso enim die Christi mortis ex insulis
Echinadibus facta est vox à dæmonibus
magnum Deum Pan mortuum. vide Plu-
tarchum & Euseb. quod potest intelligi
de Christo Deo vel de ipso principe dæ-
moniorum cuius potestas eo die interiit,
Hebr. 2. Per mortem destruxit eum qui
mortis habebat imperium. Interrogatus
aliquando Apollo de vera religione, &
quæ esset omnibus superstes, sic respon-
dit : Ne me utinam supremum scisciteris

de sancto ac diuino genitore & sobole
 chara rebus magni induperantis & flatu,
 qui mundum astrictum cōtinet omnem,
 mōtes, tellurem, fluuios, mare, tartara &
 ignem, aëraque: heu templis is me disce-
 dere ab istis coget, linquetur quo edebā
 oracula limen. Vide in fine, 2. li. de peren-
 ni philosophia. Post incōparabilē Christi
 victoriam destrui cœperunt templa deo-
 rum, altaria, responsa, maximē præsentibus
 fidelibus, à quibus dæmones dicebāt
 se vexari: vestes, corpora, sepulchra san-
 ctorum, fugant dæmones. Quid ergo nō
 poterunt fides & orationes sanctorū ad-
 uersus dæmones, quos etiam olim iudi-
 caturi sumus? 1. ad Corinth. 6. De conuel-
 lenda illa idololatria, Ezech. 30. & Mal. 1.
 Hoc nō potuit Moyse nec quotquot fue-
 rūt prophete suis miraculis & portētis, ne
 patriarche quidem. Hoc vni Christo re-
 seruatum erat. Idcirco, Leui. 10, Nadab &
 Abiu volentes adolere cum igni alieno,
 puniti sunt de præsumptione, quòd vel-
 lent sacra offerre pro extraneis. Sequi-
 tur enim, Sanctificabor in propinquis id
 est Christo & Apostolis quibus præordi-
 nata fuerat extraneorū conuersio. Gene.

1. Cor. 6.
 Ezech. 30.
 Malac. 1.

Leuit. 10.

Gen. 49.

49. & Esa. 11. Leuabit Dominus signum, *Esa. 11.*
 & congregabit dispersos Israel, Ioan. 10. *Ioan. 10.*
 & 11. à quatuor v̄etis: de quibus, Matt. 24. *Matth. 24.*
 Vnde, Deuter. 30. Si ad cardines cœli fue- *Deute. 30.*
 ris dissipatus, inde congregabit te Domi-
 nus Deus tuus. Eapropter missi sunt A-
 postoli per vniuersum orbem. *Matth. 28.*
 Mar. 6. Rom. 10. & Colof. 1. id præcinne- *Mar. 6.*
 rat Esa. 27. 49. 66. ad hoc munus datæ om- *Rom. 10.*
 nium linguæ Apostolis. En quomodo *Colof. 1.*
 Christus sua victoria nactus est dominiũ *Esa. 27. 49.*
 super gētes, in quibus maximè regnabat *66.*
 diabolus. Ephes. 2. & 4. Aliud *vikesgov* vi- *Act. 2.*
 ctoriæ Christi est quòd ad se pertraxerit
 omnem virtutem numinum, Ioan. 12. Si *Ioan. 12.*
 exaltatus fuero à terra, omnia traham ad
 me ipsum. Enimuerò principatus qui erat
 super multorum humeros, nunc super so-
 lius Christi humerũ impositus est. *Esa. 9.*
 Currebatur olim pro diuersitate rerum
 ad diuersa numina, pro fruge, vino, victo-
 ria, secundo vento, in mari ad Cererem,
 Bacchum, Martem, Neptunum, &c. Nũc
 ad vnum Christum, in quo pater collo-
 cavit omnia. Ioan. 13. Omnia dedit ei pa- *Ioan. 13.*
 ter in manus & 17. omnia tua mea sunt &
 Matth. 11. omnia mihi tradita sunt à patre *Matth. 11.*

DE REGNO

meo, venite ad me omnes, &c. Ille diues
 est affatim in omnes qui inuocant illum,
 Rom. 10. & 2. ad Corint. 1. præterea pro se
 obtinuit Christus suæ resurrectionis ac-
 celerationem, sui que nominis manife-
 stationē, vt fuerit cognitus Deus. Ioan. 8.
 & 12. Cum exaltaueritis filium hominis,
 tūc cognoscetis quia ego sum, & 17. Cla-
 rifica me pater claritate quā habui prius
 quam mundus fieret apud te. Nactus est
 etiam omnium dominium. Matth. 28. &
 Philip. 2. vsque antehac de his quæ cesse-
 runt in gloriam Christi victoris. Sed quia
 nobis vicit sicut & pro nobis mortuus est,
 operę pretium est, quid nobis ex eius vi-
 ctoria contigerit, expendere. Nam vltra
 potestatem super dæmones de qua, Mar.
 6. & facultatem iudicādi eos. 1. ad Cor. 6.
 Angelos iudicabimus, à graui seruitute
 asseruit nos in libertatem filiorum Dei, &
 quidē solus, Ioan. 8. Si filius vos liberaue-
 rit verē liberi eritis. Quapropter in mor-
 te noluit neque apostolos socios, neque
 angelos liberatores. Matth. 26. vt benefi-
 cium cum creationis tum redemptionis
 vni verbo Dei per quē omnia facta sunt
 & restaurata debeat. Plus enim sumus

Rom. 10.
2. Cor. 1.

Ioan. 8. &
12.

Matth. 28.

Philip. 2.

Mar. 6.
1. Cor. 6.

Ioan. 8.

Matth. 26.

obnoxij Deo redemptionis beneficio
quam creationis. Ideo, Esa. 64. Exerta vo-
ce clamāt, torcular calcaui solus, qui vo-
luit fieri homo pro reparatione ipsius
Adæ qui voluit esse Deus.

Esa. 64.

*De captiuitate peccati, à qua vindi-
cati per Christum.*

CAP. 14



nter eximia quæ consequuti
sum⁹, victrice illa Christi mor-
te, est gratia, quam benedi-
tionē vocat sermo Hebræus
בְּרַכָּה de qua Gen. 22. In semine tuo bene-
dicētur omnes gentes, id est donabuntur
gratia & recōciliatione cū patre, Rom. 5.
2. ad Corint. 5. & ad Ephe. 1. per illam de-
uenimus ad gratiam illam cōsummam,
& regnum cœleste, quod iure belli nobis
acquisiuit, non sibi. Nam ceu filius Dei
heres erat vniuersorū, Heb. 1. 2. & 3. Ideo
proficiscēs ad mortem dicit, Luc. 22. Ego
dispono vobis morte mea regnum, sicut
disposuit mihi pater, & Ioan. 14. vado vo-
bis parare locum. Alterū beneficium est
liberatio à captiuitate peccati, & quidem
grauissima, de qua Ioan. 8. Rom. 6. & 7.
& ad Tit. 2. Illa siquidem seruitus eo gra-

Gene. 22.

Rom. 5.

2. Cor. 5.

Ephes. 1.

Heb. 1. 2. 3.

Luc. 22.

Ioan. 14.

Ioan. 8.

Ro. 6. & 7.

Tit. 2.